

inter parallelos, ut decet, ex parte orientis aut occidentis, prout hora, aut ante, aut pomeridiana erit, & partes Zodiaci tunc tangentes horizontem & meridianum, erunt 4. anguli seu centra quaesita. Vt v. g. altitudine solis existente 28. grad. & statuta ad 28. parallelum, cardines 4. coeli determinabuntur hoc modo: 20. capricorni erit angulus orientis & ascendens seu horoscopus appellabitur. 25. scorpij erit angulus medij coeli; gradus oppositus, nempe 25 tauri, angulus mediae noctis, seu terræ. Gradus tandem 20. cancri erit angulus occidentis. Eodem modo nocturno tempore per stellam aliquam notam eiusmodi cardines inuestigari poterunt. Atq; hac ratione non solum puncta quæuis Ecclipticæ; verum etiam stelle omnes fixæ in aranea descriptæ repræsentabunt situm quem habent in coelo.

MERIDIANAM LINEAM AC PROINDE

lineam quoq; veri ortus & occasus, in plano quod horizonti æquidistet, inuenire. Propos. XXIV.

Inuenta altitudine solis, siue ante, siue pomeridiana, collocetur gradus solis in parallelo eius altitudinis, & notetur verticalis, in quem gradus incidit, quot namq; gradibus verticalis ille à primario verticali, hoc est, ab interfectione æquatoris, horizontis & illius primarij recedit in Austrum, aut septentrionem (quos quidem gradus, metitur arcus horizontis inter verticalem primarium, & verticalem, in quem gradus solis cadit, positus) tot gradus numerandi sunt in dorso Astrolabij, à diametro horizontali, ex parte orientis vel occidentis, prout solis altitudo reperta fuerit aut ante, aut post meridiem. Sursum quidem, versus armillam, si sol inuētus fuerit in verticali australi; deorsum verò, si in boreali. Nam posita linea fiduciæ super ultimo gradu numerationis, si tunc Astrolabium ponatur horizonti æquidistans, & tam diu hinc inde vertatur, donec umbra unius lateris, pinnicidij per latus mediclinij extendatur, & alterius lateris

teris